



DVCTORE & DOCTORE  
 CHRISTO;  
 T R I A S  
 ERRORUM PONTIFICIORUM  
 De

1. Cramate Eucharistico.
2. Communionem sub una.
3. Transsubstantiatione.


Quos in disputationem publicā  
*proponit*

M. LEVIN POUCHENIUS S. S.  
 Theolog: Profess: anlæq; Boruss: Concionator

*Respondente*

M. PETRO RHEBINDERO  
 Lubecensi.

*Addiē 9. Novembr: in Acro-  
 aterio magno*



REGIOMONTI  
 Typis Laurentij Segebadij.  
 ANNO  
 M. DC. XXXV.

inv 172  
 2.85863

264033

NOBILISSIMO  
Judicij in Borussia summi  
COLLEGIO,

*VIRIS*

*Magnificis, Generosis, Strenuis, Pranobilissimis, Am-  
plissimis, Consultissimis,*

I V S T I T I Æ Præsibus laudatissimis,  
ELECTORIS BRANDENBURGICI  
Consiliarijs gravissimis, &c. &c.

Dominis  
*humiliter*

Fautoribus,  
*reverenter*

*colendis*

*hoc*

Observantiæ

reverentiæ

*testimonium*

devotâ  
mente

grato  
animo

*offert*

LEVIN POUCHENIUS.



IN NOMINE JESU AD IPSIUS GLO-  
RIAM!

ERROR I.

**N**on debet in calice §. 1.  
Domini aut vinum  
solum, aut aqua so-  
la offerri, sed utrumque  
permistum.

Ita ex *Alexandro distinct.* 2. de consecrat: c. habe-  
tur. Idem affirmant *Thomas part.* 3. qu. 74. art. 6. *Bel-  
larm: lib.* 4. de Euchar: cap. 10. *Azorius in Institut: Mo-  
ral: lib.* 10. cap. 30. quæst. 2. p. 890. & alij.

Censura Orthodoxa.

Mixturam illam Pontificiorum veteres Græ- §. 2.  
ci *νεῖμα* nominarunt, quâ cum vino Eucharisti-  
co in Ecclesia Romana miscetur aqua, quod adeo  
necessarium esse putant, ut Sacerdos, qui aquam  
in calicem non miserit, gravissimum & lethale pec-  
catum admittat. *Catechism: Roman: part.* 2. quæst. 16.  
p. 302. *Bellarm: c. S.* Porro. *Azorius l. c. S. quæres p.*  
891. Finem hujus mixturæ faciunt, fidelium ( qui §. 3.  
per aquam intelliguntur ) cum Christo (cujus san-  
guis



gvis vino ostenditur ) unionem , quæ hæc mixturâ repræsentatur & efficitur. *Papa Julius distinguit: 2. de consecr: c. cum omne.* Orthodoxi de hæc mixtura ita sentiunt : Si Pontificij eam ut adiaphoricam & liberam relinquerent , quæ verbo DEI nec mandata , nec prohibita sit , quadantenus eandem ferre posse ; quia 1. inde Eucharistiæ vel integritati vel efficacix nil accedit , vel decedit. 2. in primitiva Ecclesia , ob Gentium calumnias , quasi Christiani ebrietatis causa cœnam Dominicam celebrarent non merum , sed mixtum vinum adhibitum fuit. *Chemnit. in Exam. Conc: Trident: part: 2. p. 201.* At cum pro necessaria eam venditent , grandevè peccatû , si omittatur , autumēt in ō contrariû statuentes , anathemate feriant *Conc. Trident. Sess. 6. c. 7. can: 9. citante Chemnit. d. l. illam neutiquam admittendam judicant : idquè,*

§. 5.

## I. Ob Scripturæ silentium.

Nuspiam enim in Evangelistarum historia legitur , quod Christus vinum aquâ temperatum adhibuerit , multò minùs , quod mixtionem illam , tanquam necessariam , præceperit. De germine vitis in cœna Christum bibisse , & de eadem nos bibere jussisse Evangelistæ docent *Math. 26. v. 29 Marc: 14. v. 25. Luc. 22. v. 18. Vitis autem vinum producit non aquam,* inquit *Chrisostomus Homil: 83. in Math. Tô: 1. f. 196.* Quod verò vinum dilutum in Cœna adhibuerit



erit, idemq; nobis adhibendum mandaverit nulli habetur. Verum in sacramentis humanâ auctoritate, citra scripturæ ductum, quicquam mutare temerarium, imò impium est.

## I I. Ob autorem incertum. §. 6.

Ad Ecclesiam Apostolicam mixturæ institutio referri non potest; quippe quod probati Pontificiorum autores, *Platina in vita Alexandri .I. pag. 15. Polydor: Virgil: lib. 5. c. 10. p. 446.* Papam Alexandrum primum fuisse testentur, qui vinum aquâ misceri coepit. Idem statuere videtur *Concil: Triburiense c. 19. Tom: 2. Concil. p. 151. f. 6.* Et Apostolicam non esse traditionem vel inde patet, quod ritus iste non fuerit universalis, nec semper, nec ab omnibus adhibitus, teste *Lombardo lib. 4. sentent: dist: 11. lit. H. p. 349* & *Cornelio Jansen: comm: in Conc: Evang: c. 131. p. 906.* Sed hoc traditionis Apostolicæ nomine venire nequit, quod nec semper, nec in cunctis obtinuit Ecclesijs.

## III. Ob Pontificiorum dissentium. §. 7.

Qui multiplex est. 1. *Armacanus lib. 9. de quest: Armen: c. 9.* putat, missionem hanc esse de Essentia sacramenti. *Egidius de Coninck de sacram: quest: 74. art. 7. §. 133.* dicit, omninò certum esse, missionem aquæ non esse de essentia sacramenti. 2. *Papa Ju-*



*lius l. ante c. asserit, quod calix Domini non possit esse aqua sola aut vinum solum nisi utrumque misceatur, Iansenius l. c. pag: 907. negat mistionem istam aquæ cum vino esse absolute necessariam 3. Gregorius de Valentia Tom. 4. disput: 6. quæst. 2. pag. 920. misturam à Christo præceptam nugatur. Coninck l. c. §-135. ait, præceptum miscendi aquam vino consecrando esse solum Ecclesiasticum. 4. Circa quæstionem, nùm aqua vino admixta in sanguinem Christi cum vino transubstantietur, nec ne? Dd. satis perplexi fuerunt, ut ex ejus ambagibus vix potuerint sese extricare. Quidam enim statuerunt quod aqua adjuncta vino per se maneat, vino converso in sanguinem. Alij dixerunt, quod sicut vinum convertitur in sanguinem: ita aqua convertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit. Innocentius III. lib: 3. decret. tit. 41. de celebr. Miss. & divin: offic. c. cum Marthæ §. quæsvisti etiam. probabiliorem asserit aliorum opinionem, qui ajunt, aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem: Vide Thomam part. 3. quæst: 74. art. 8. in Concl. & Azorium lib. 10. Moral. Instit: c. 30. §. tertia quæstio p. 891. Coninck de sacram. quæst: 74. art. 8. prolixè satis docet, aquam immediatè converti in sanguinem. Vide Gentilettum Apolog: c. 8. §. 5. pag: 135. & seq. Didacum Nugno Tom: 1 in 3. Thomæ fol. 260. a. Præterea alia.*

§. 8. **IV. Ob necessitatis defectum,**  
 Non enim vinum tantâ copiâ sumitur, aut tam  
 generosè



generosum in cœna adhibetur, & quod adhibetur, in plerisque locis, malitiâ & fraude venditorum plus justo diluitur, ut mixturâ opus non sit. Ex dictis concludo.

## Pontificem Romanum Christi §. 9. vicarium non esse:

Quia in Cœnâ Dominicæ administratione mixturam, ut necessariam obtrudit, quæ ex institutione Christi non probatur.

### ERROR II.

## Excepto celebrante seu §. 10. conficiente nemo jure di- vino tenetur communi- care sub utraque specie.

Hoc de fide esse statuit *Concil. Trident. Sess. 5. cap. 1. can. 1.* citante *Chemnis. part. 2. Exam: p. 120. Et Constantiense Sess. 13. Tom. 2. Conc. pag. 515.* ubi sub pœna excommunicationis præcipitur, ne ullus Presbyter communicet populum sub utraque specie §. *item ipsa sancta.* Hunc errorem fusius propugnat *Jacobus Payva Orthodox: Explicat. lib. 7. p. 596.* *Gregorius de Valentia in Opusc. de legitim: usu Euchar:*



p. 633. Bellarmin lib. 4. de Euchar: cap. 20. & seq. Co-  
 sterus in Enchirid: Controvers. cap. 10. p. 335. Becanus  
 tom: 2. Opuscul. Theolog: Opusc. 6. in Theolog: Scholastic:  
 part: 3. tract: 2. cap. 24. & in Manual: lib: 1. cap. 9.  
 Egidius Coninck de Sacram: qu. 80. art. 12 pag. 233. Ha-  
 gerus in Collat. August: Confess. & Concil: Trident. part.  
 2. abus: 1. pag. 362. Thomas Heinrichi in Anat: August:  
 Confess: art. 11. quæst. 2. p. 390.

## §. II. Censura Orthodoxa.

Non una est sententia Pontificiorum de com-  
 munionem Sacramenti, sed alia vetustiorum, alia re-  
 centiorum de hâc controversia mens est 1. Concili-  
 um Constantiense. ante c. 5. cum in nonnullis & Tri-  
 dentinum c. 1. fatentur, Coenam in duabus specie-  
 bus esse institutam, Apostolis traditam, & in pri-  
 mitiva Ecclesia à fidelibus acceptam. Bellarminus  
 lib. 4. de Euchar: c. 20. §. quantum. Pragæ in Bohe-  
 mia circa annum Domini 1412. controversiam de  
 communione sub utraque specie, exortam esse  
 asserit. Huic subscribit Pistorius in Hodoger. pag. 468.  
 qui affirmat, unius speciei usurpationem à primis  
 Apostolorum temporibus fuisse in usu, cui pri-  
 mus omnium hominum contradixerit Hussius.  
 Videatur etiam Egidius de Coninck c. l. §. 111. 2. Cō-  
 ciliium Constantiense §. item ipsa. statuit usum cali-  
 cis sub pœna excommunicationis Laicis esse dene-  
 gandum. Et Hosius in Dialogo, de eo, num calicem La-  
 icis permitti fas sit, scribit: si calix Laicis & Sacerdo-  
 tibus



cibus permittatur Papatum univcrsum eversum i-  
ri. *Gregorius de Valent. in tract. de legitim. usu Euchar:*  
*c. 10. pag. 656. in Ecclesiæ arbitrio situm esse do-*  
*ccet, ut utraqùè vel altera tantum species populo*  
*administretur. Et Becanus in Manuali. c. 9. §. 2. Chri-*  
*stum liberum reliquisse, ut Laici, vel sub una,*  
*vel sub utraqùè specie communicarent. 3. Bellar:*  
*cap: 25. verba Christi, bibite ex hoc omnes, perti-*  
*nere ad solos Apostolos, ait. Cassander in Consult. c.*  
*22. p. 182. affirmat hæc dixisse Christum Apostolis,*  
*fideliu communi cantium personam repræsen-*  
*tantibus. Taceo alia dissensus capita. Omnes ta-*  
*men in eo consentiunt, Laicos ad solam panis u-*  
*surpationem admittendos esse. Causas proferunt*  
*multas, quas vide apud Gregor: de Valent. cap. 10. p.*  
*657. Becan: tom: 2. Opusc. 6. cap. 6, 7, 8. Potiores ha-*  
*rum duæ sunt, Prior: quia totus Christus non mi-*  
*nùs continetur sub una, quam sub utraqùè specie-*  
*Huic opponimus sententiam Andrea Friccij Modre-*  
*vij, quam habet lib. 4. de emendanda Republ: cap: 19.*  
*p. 283. ubi sic scribit: separatim commestio nomi-*  
*natur, separatim bibitio ab illâ sapientiâ increatâ,*  
*cui sapientia omnis humana de inseparabilitate*  
*sangvinis vivi, à carne vivâ cedere debet. Non e-*  
*nim hic disputandum est ex rationibus humanis,*  
*sed voluntas Christi intuenda, qui convivium non*  
*mancum instituit, sed cibo addidit potum. Audi-*  
*ant Doctorem irrefragabilem (è Pontificiorum*  
*sententia) Alex: ab Alesens, 4. qu. 40. m3. art. 2.*  
**Totus**

§. 12.

§. 13



Totus Christus non continetur sub una specie sacramentaliter : sed caro tantum sub una specie panis, sanguis tantum sub una specie vini. *Posterior*: quia ex una non minor fructus percipitur, quam ex utraqùe. Hæc causa unicâ destruitur instantiâ. Idem fructus hauritur è verbo lecto, qui ex audito; siquidem efficacia verbi est perpetua, nec ad istas externas circumstantias alligata. An verò inde concludere licet : si idem fructus oritur è verbi lectione, qui ex auscultatione, perinde erit, vel domi legere, vel publicè audire? Id quod ipsi Pontificij non concedunt, propter contrariam Christi institutionem : Ergò, quia Salvator utramq; speciem instituit, nos etiam debemus accipere utramqùe, si maximè nesciremus, quæ inde ad nos redundet utilitas. Proinde Orthodoxi communionem sub una statuunt,

§. 15. **I. Esse Pontificiorum figmentum.**

1. *Quia nullo nititur scriptura fundamento.* Nam in cap. 6. *Johannis*, ut & cap. 24. v. 30. *Luca*, quod utrumquè urget *Bellarminus cap. 24. Becanus cap. 3. Tom: 2. Opusc. 6.* non agitur de sacramentali; sed ibi de spiritali manducatione, teste *Biel test. 84. super can: Missæ, Cajetano in part: 3. quæst. 80. art. ult.* Imo ipse *Bellarminus lib. 1. de Eucharist: cap. 7.* aliquoties fatetur, capite *Johannis 6.* Eucharistiam non esse institutam, quanquam ad instituendæ usum



usum, Christianos hic obligari contendat. Hic ve-  
 rò *cap. 24. Luca*, de communi convivio sermo est,  
 sic explicante *Lyranò, Carthusiano, Didaco Stella*  
 super h. l. Ex recentioribus *Didacus de Baeza tom:*  
*3. Comm. Moral: in univers: histor. Evangel. lib. 14. c.*  
*10. §. 22. pag: 113. a. Guelmus Estius in annot: aureis in*  
*Luc: 24. negat Eucharistiam fuisse in Emaus distri-*  
*butam: quia si ita est, scribit Estius, sequeretur, Chri-*  
*stum consecrasse, atque ita sacrificasse sub una specie.*  
*Nam si consecravit utramque speciem, nulla ratio, cur*  
*non porrexisset discipulus utramque speciem. Ergò cum*  
 ipsi Pontificij in explicatione horum locorum dis-  
 sentiant, qui inde fidei dogma probabunt. 2. *Quia* §. 16.  
*caret firmâ ratione.* Concomitantia enim Pontificia  
 de quâ prolixè *Bellarminus cap. 21. tollitur.* distin-  
 ctione, inter præsentiam naturalem, Personalem  
 & Sacramentalem. Concedimus quidem, ubicun-  
 què est corpus, ibi simul sanguis & anima Christi  
 est, præsentia naturali; ibi & λόγος est præsentia  
 personali: at non, ubi est corpus, ibi statim est  
 sanguis præsentia sacramentali, quia aliter Chri-  
 stus ordinavit ac instituit. 3. *Quia ipsi fatentur muta-* §. 17.  
*tionem ab Ecclesia esse factam.* Utrumquè *Concilium*  
*& Constantiense & Tridentinum l. c. affirmat,* Cœ-  
 nam in duabus speciebus esse institutam, Aposto-  
 lis traditam & ita in primitivâ Ecclesiâ fidelibus  
 acceptam esse: Hoc tamen non obstante, statuit  
 utrumquè Concil. Laicos & Clericos non confici-  
 entes sub panis tantummodo specie debere com-  
 municare. In hunc sensum scribit *Gregorius de Va-*  
*lens.*



lent: c. 10. de legit: usu Euchar: p. 650. b. l. c. Ecclesia  
 autoritate, ipso usu primùm comprobata est con-  
 suetudo communicandi sub altera tantum specie,  
 §. 18. & deinde etiam pro lege sancita. An vero in Eccle-  
 sia arbitrio & potestate sit dispensationem & usum sacra-  
 mentorum, salvâ eorū substantiâ, determinare? ut do-  
 cet Gregor: de Valens: loc. jam cit: Hagerus part. 2. a-  
 bus. 1. in Coll: Aug: Confess. & Conc: Trident. quest: 6.  
 p. 373. Henrici in anat: Aug: Confess: art: 11. quest: 3.  
 Concl. 1. p. 405. prolixè jam non inquirō. Hoc tamē  
 noto, quod Bellarm. lib. 1. de Sacram: in gener: c. 21.  
 & lib. 3. de Euch: c. 17. §. primò igitur disputat, sacra-  
 menta tota dependere ab institutione, à ritu &  
 verbis quæ Christus præscripsit. Hoc si ita est, nec  
 in verbis, nec in ritibus à Christo præscriptis Ec-  
 clesia quicquam potest dispensare: id quod sine  
 dubio causa erat, quod non pauci Episcopi ex ju-  
 dicibus in Tridentinâ Synodo huic potestati Eccle-  
 siæ contradicebant referente Petro Svaris in Histo-  
 ria Conc: Trident. lib. 6. p. 600. Et quî substantia sa-  
 cramenti maneret salva, cum Pontificij partem in-  
 tegralem Vinum planetollant?

## §. 19. II. Esse dogma falsum.

I. Quia Christus sub utraqû Cœnam instituit. Hoc  
 non negant ipsi Pontificij, Clement lib. 3. tit: 16. de  
 Reliq: & ven: sanct: cap. un: Si Dominum. Concil: Con-  
 stans. & Trident. l. c. Quæ Christi institutio ut o-  
 mnium optima, tutissima & rectissima est, tan-  
 quam



quam ipsius Testatoris sapientissimi; ita strictissi-  
 mè observanda. Habetur ea *Math. 26. v. 26. 27. 28.*  
*Marc. 14. v. 22. 23. 24. Luc. 22. v. 19. 20.* E quibus lo-  
 cis constat, quod Apostoli non conficientes, qui  
 manducarunt panem benedictum *ἁγίασας* etiam  
 biberunt è poculo benedicto: non modo Clerici,  
 sed etiam Laici, qui non minus acilli mortem Do-  
 mini annunciare tenentur. Hinc *Petrus à Soto in*  
*Affert. Cath. Fid. Thes. cath. p. 59. f. b.* affirmat, non cele-  
 brandum esse hoc sacramentum sine utriusque  
 speciei sumptione, ut seruetur Christi præceptum,  
*hoc facite in mei commemorationem, & integritas sa-*  
*cramenti. 2. Quia Cæna absquè calice mutila est, decla-* §. 20.  
*râte Pontifice Romano dist. 2. de consecr. c. Comperimus.*  
*Thomas part. 3. quest. 80. art. 12. in Resp.* ex parte sa-  
 cramenti convenire, ait, ut utrumquè sumatur  
 sc. corpus & sanguis, quia in utroquè consistit per-  
 fectio sacramenti. *Petrus à Soto in Ass. Cath. fid. in*  
*Schol. ad Thes. VVittenb. S. Fatemur p. 53. & p. 58. in*  
*thes. Catholic.* scribit: sine pane & vino hoc sacra-  
 mentum perfici non potest. Ideoque ipsi Catho-  
 lici summo desiderio potiundi Dominici calicis in-  
 cenduntur, & omnibus modis contendunt, ut  
 hoc salutare sacramentum sanguinis Christi unè  
 cum sacramento Corporis, juxta veterem ex mul-  
 tisæculis perpetuatam universalis Ecclesiæ consue-  
 tudinem, in usum reducatur. Quod in Synodo  
 Tridentina Orator Batavicus & Orator Cæsareus  
 gravi oratione petierunt, referente *Petro Svarvis in*  
*historia Concil. Trident. lib. 6. pag. 625.* Quod etiam  
 multis



multis Catholicis videbatur consultum, teste *Gv. Estio in 4. dist. 12. §. 9. fol. 151.*

§. 21.

### III. Esse præceptum novum.

Habemus hic confitentes ipsos Pontificios. *Thomas in cap. 6. Johann: lect: 7.* secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem omnes, ut communicabant corpori: Ita & communicabant sanguini. *Durandus de ritibus Eccl. c. 7. §. 3.* refert, quod anno 890. Laicis adhuc datus fuerit calix. *Cassander in consule. art. 22. p. 184.* annotat, in quibusdam locis, præsertim Monasterijs communionem in utraq; specie retentam esse, usquè ad annum amplius 1300. Imò post tempora Constantiensis Concilij, in solemnè Paschæ officio Martinum V., qui vixit anno 1417. juxta præscriptum Ordinis Romani, univèrsam populum, corpore & sanguine Domini communicasse: quod item testatur *Lindanus Pænopt. lib. 4. c. 50.* Hinc libenter *Tannerus part. 2. dem. 2. §. 260.* testatur. præceptum communicandi sub una Laicis datum, non ita antiquum esse. Sed ònis novitas & *εγωβολομια*, ut *Gregorius Nazianzenus* loquitur, in òni Republica, sed maximè in negotio Religionis vitanda. Novitas enim repugnat Christi Religioni, dicit *Lessius consule. confid: 9. rat. 1.*

§. 22.

### IV. Hypothesibus Pontificiorum contrarium.

Geminam hypothesin Pontificijs probè pensitandam



dam propono, quibus stantibus. communio sub  
una stare nequit. Prior est de Transsubstantiatio-  
ne, ubi dicunt *corpus separatum è pane, sanguinem è  
vino confici, non utrumquè ex alterutra specie.* Pona-  
mus jam dari aliquam transsubstantiationem. Un-  
de verò hoc habent Pontificij, quod è pane sepa-  
ratim corpus Christi, è vino separatim sanguis cõ-  
ficiatur, nisi quia Christus separatim cum pane  
corpus & cum vino sanguinem suum se daturum  
promisit? Ergo si vigore institutionis Christi ut-  
rumquè ex alterutra specie transsubstantiari non  
potest, eadem ratione sequitur, quod utrumquè  
ex alterutra specie nec possit sumi. Nam quantum  
ex alterutra specie transsubstantiatur, tantum est  
sacramentum, & tantum etiam in sacramento su-  
mitur. Unde colligitur, quod tantum corpus in sa-  
cramento sumatur, quia tantum corpus è pane  
transsubstantiatur & tantum sacramentum est. Si  
vero etiam sanguis Christi cum transsubstantiato  
corpore sumitur, tum is non erit sacramentum,  
& sic sacramentum cœnæ non erit integrum, quia  
sanguis non accipitur, ut pars integralis sacramen-  
ti. Ex hypothesi itaque Pontificiorum concludi-  
tur, quod in communione sub una nec accipiatur  
totus Christus, nec integrum sacramentum, quod  
tamen Pontificij affirmant. *Posterior ab institutio-  
ne Christi defumitur. Quicquid vi institutionis aut*  
*promissionis divina non est in Eucharistia sacramento,*  
*id non est sacramentum, nec in eo reperitur. Regula*  
*hæc certissima est, & à Bellarmino lib. 1. de sacram: in*

S. 23



gen: cap. 21. per totum, rectè urgetur. Jam verò è Pontificiorum sententia vi institutionis & verborum Christi sub specie panis Eucharistici non est nisi corpus à sanguine separatum; sub specie vini non est, nisi sanguis Christi à corpore separatus. Concil: Trident, Sess. 13. cap. 3. Catechism: Roman, part: 2. cap. 4. quæst. 28. p. 319. Thomas part: 3. qu. 76. art. 2. in Conclus: Bellarmin: lib. 4. de Euchar. cap. 21. §. sed hæc. Egidius Coninck de sacram. quæst: 76. art: 2 in dub: Concl. 1. & 2. §. 181. Ergo vi institutionis aut promissionis divinæ non nisi corpus à sanguine separatum sacramentum est, & in sacramento sumitur, quod iterum contra Pontificios est, & communionem sub una destruit. Ex dictis concludo:

§. 24. **Ecclesiam Pontificiorum non esse veram:**

Quia non integrum, sed mutilatum habet coenæ sacramentum.

### ERROR III.

§. 25. **Vi divinorum verborum, à ministro juxta Christi institutionem prolatorum,**



rum , panis & vinum in  
verum corpus & sangvi-  
nem Christi convertun-  
tur , remanētibus solis  
panis & vini accidenti-  
bus.

Pontif: Roman: dist: 2 de consecr. Nos autem: & in De-  
cret. lib. 1. tit. 1. cap. 1. §. una Lyra in cap. 11. 1. ad Corinth: 1.  
ad verba , similiter & calicem : Concil: Trident: Sess:  
13. cap: 4. can: 2. citante Gregor: de Valent: de Euchar:  
lib: 2: cap: 1. a. 1. p. 505. Thomas part: 3. qu. 75. art: 2. 3. 4.  
5. Petrus à Soto in Assert: Cathol: fid: thes: Cathol: p. 58.  
Jacob: Payva Orthodox: explicat: lib. 7. pag: 505. Bel-  
larm: lib: 3. Euch: cap: 18. 19. Costerus in Enchir: cap. 8.  
de Euchar: p. 309. Becanus Tom: 2. Opusc: 5. de tripl: cœ-  
na cap. 4. de cœna Luth: Theol: Scholaſt: part: 3. tract:  
2. c. 18. in Manual: lib. 2. c. 3. §. 9. Egid: Coninck de  
Sacram: qu: 75. p. 155.

## Censura Orthodoxa.

§. 26.

Transubstantiationis , ut nomen, ita quoq;  
dogma novum & barbarum, ac in Ecclesia à multis  
annis ignotum fuit, usquē dum Papa Innocentius

III, in



III. in Eateranensi Concilio anno 1215. quod habetur *Tom: 2. Concil: p. 159.* & novum hoc dogma invenit, ac novo dogmati novum nomen, antea prorsus inauditum, imposuit. Nam ante hoc Concilium conversionem illam fuisse incognitam, docet *Scotus in 4. Sentent; dist: 10. qu. 1.* sed eam in prædicto Concilio primum introductam esse liberè fateretur *Gu: Estius in 4. sent; dist: 12: S. 6. f. 146.* Ortho-

- §. 27. doxi nomen hoc transubstantiationis meritò referunt inter *ἄγνοΰσας* illas, quas Paulus *1. Tim: 6. v. 20* vitandas esse monet, quia simul nova dogmata, scripturæ planè ignota, inferunt. Benè itaque factum, si Pontificij primum suum dogma è scriptura probarent, postmodum judicarent, an aptissimè voce transubstantiationis appellatum sit, nec, nisi re probatâ, negantes anathemate ferirent, ut minùs
- §. 28. prudenter *Concil. Trident: Sess: 13. can: 2.* Causa vero hujus fictitij dogmatis est, non quod eò præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia exprimatur ac verificetur: quia difficillimum est videre, qualiter ipsa conversio aliquid faciat ad hoc, ut corpus Christi sit in sacramèto, dicere *Durando 4. sentent; dist: 11. qu: 1. art: 14.* Et hanc esse mentem Durandi non negat *Pesantius in Thomam fol: 896. a. b. 1.* sed quò inclusionem fanaticam, circumgestationem pomposam & adorationem idololatricam sui sacramenti extra usum eò firmius stabilire, & imprudentioribus persuadere possint, non panem & vinum (id quod nimis crassum & remerarium foret) sed verum corpus Domini includi, circumgestari



gestari ac adorari. Fundamenta hujus dogmatis §.29.  
habent nulla. Non posse è scripturis haberi trans-  
substantiationem, *Scotus*, (homo juxta *Bellarmini*  
*judicium lib. 3. Euchar: c. 23. §. secundò dicit: doctif-*  
*simus & acutissimus) 4. sentent dist: 11. qu. 3. l. B. inge-*  
*nuè fatecur.* Rationem hoc dogma fugit, quippè  
miraculum miraculorum omnium maximum,  
quod omnem transcédit rationem. Discordia ve-  
rò de hoc fidei Romanæ capite inter Pontificios  
Doctores maxima, quam referre pudet, qui vult,  
legat *Vilhelmi Holderi* librum, cui titulum fecit;  
*Mus exenteratus. Didacum Nugno Tom: 1. in Thom: f.*  
*271. & sequ: Pesantium in Thom: fol: 892. Gr: Estium*  
*in 4 sent: dist: 11. Supplementum Tom: 4. Panstrat:*  
*Cath: Chamieri cap: 7. §. 8. p. 29. b. & alios.* Jure Or-  
thodoxi detestantur hoc dogma, idq;

## I. Quia in scriptura non est §.30. fundatum.

Omne fidei dogma è scriptura debet esse desum-  
ptum, ita quidem, ut si quid extra eam dicatur, e-  
adè facilitate rejici, quàm admitti possit: præser-  
tim in ijs, quæ Filij DEI Testamentum concer-  
nunt, in quo corporis sui *νοῦνάριον* & realem exhi-  
bitionem nobis promissit. Jam verò Christus Te-  
stator, & ejus Notarij Evangelistæ, imò tota scri-  
ptura transsubstantiationem omninò tacent, ut e-  
jus nullum fundamentum vel saltem indicium ha-  
beat



beat. Hoc tam certum, ut ipsi Adversarij fateri cogantur, transsubstantiationem referendam esse inter ea, quæ in scriptura sola non continentur, nec ex eâ solâ evidentè deducuntur. *Tanner: compend: relat: colloqv. Ratisb. part. .I. cap. 6.* Panis substantiam non remanere, sed simpliciter esse definire, nequè ex scriptura evidentè sequi, nequè se videre posse ex Ecclesiæ determinatione, ait *Cajetanus in part: 3. Thomæ qv. 75. art: 2.* Ex verbis institutionis hoc dogma eruere non possunt, quia invicem non consentiunt, quid per Pronomen *Hoc* intelligendum sit ut videre est apud *Thomam part: 3. qv. 78. art: 5.* *Franciscum Swarez in Thomam Tom: 3. qv. 78. art: 1. disp. 58. Sest: 7.* Quantum verò scriptura pro Orthodoxa sententia faciat, quod panis in Cœna adsit & maneat, hoc syllogismo demonstratur: *Quod Christus in manus sumebat, cui benedicebat, quod frangebatur, quodq; porrigebatur discipulis, illud manducarunt, Math: 26, 26. Marc: 14. v. 22. Luc: 22. v. 19, 1. Cor: II. v. 24.* Atqui verum & substantialem panem sumebatur, eidem benedicebat, hunc frangebatur & discipulis porrigebatur, quod nemo Pontificiorum diffitetur. Ergo verum & substantialem panem manducarunt. Hoc magis magisque confirmat *Apostolus 1. Cor. 10. v. 16.* dicens: Panem, quem frangimus, esse communicationem corporis Christi. Ubi talem intelligit panem, qui frangitur: at accidentia nuda nequeunt frangi. Panem illum intelligit, qui est communicatio corporis Christi: at non ipsum corpus. Panem dicit *κοινωνία* corporis, non



non accidentia panis. Et aliquoties de usu Cœnæ verba faciens, panem expressè nominat *cap: 11. v. 26. 27. 28.* Valeat ergo transsubstantiationis dogma.

## II. Quia analogiæ fidei contrarium. §. 32.

Nam .I. omnia sacramenta in generalibus quibusdam affectionibus conveniunt, imprimis duo Novi Testamenti Sacramenta, inter quæ magna intercedit convenientia. Ast in nullo transsubstantiatio locum habet, nec in ipso Baptismo. Ut ergo aqua in Baptismo non immutatur, ita nec panis & vinum in Cœna transsubstantiantur. 2. Testator DEI filius, in Testamenti verbis seorsim dixit, *Hoc est corpus meum*, & seorsim, *Hic est sanguis meus*. Si verò vi horum verborum fieret transsubstantiatio, tunc seorsim produceretur corpus, seorsim sanguis, & daretur corpus sine sanguine, sanguis sine corpore, & sumeretur in Cœna Pontificiorum tantum corpus, non sanguis, cum panis in sanguinem transmutari non possit, ut colligitur è *Thoma part: 3. qu: 76. art: 2. in Conclus: Bellarmino lib: 4. Euchar: cap: 21. §. sed hæc Coninck de sacramen: qu: 76. art: 2, in dub: Concl: 1. & 2. pag: 181.* 3. Sacramentorum proprium hoc est, ut & signum & rem signatam habeant. Hinc *Irenæus lib: 3. advers: hæres: c. 34.* Eucharistia constat duabus rebus terrenâ & cœlesti. Sed positâ transsubstantiatione altera



pars sacramenti tollitur sc. elementam: Nam accidentia nomine elementi venire nequeunt. 4. Sacramenta sunt instituta, ad confirmandam fidem rerum invisibilium per signa visibilia: Si verò panis Eucharisticus desinit esse panis, nosquè in Symbolo externo hallucinamur, certè fides nostra hoc sacramento non confirmabitur. 5. Huc referunt quidam Vereris Ecclesiæ collationem inter doctrinam de sacra Cœna & mysterium personæ Christi. Ut enim hic in personæ unitate sunt duæ naturæ, Essentijs distinctæ, personaliter tamen unitæ: sic in cœna Domini duæ res sunt, terrena & cœlestis, sacramentaliter unitæ. At si substantia panis & vini, ex mente Pontificiorum, desinit esse, & remanent nuda accidentia, quomodo non sequeretur, ex recepta illa similitudine *Marcionitæ & Valentini* error λόγον speciem corporis, non verum corpus assumsisse.

### III. Quia rectæ rationi adversum.

§. 33.

Non est humana ratio principium fidei ac Religionis: attamen principia cognitionis generalia & ipsi intellectui connata, aut ex certo sensuum iudicio deducta, ex agro Theologico minimè proscriptibenda sunt, sed omninò in explicatione controversiarum Theologicarum attendenda, nisi quis omnem discursum tollere velit. Cum itaque  
trans



transsubstantiationis dogma principijs rectæ rationis adversetur, jure illud tanquam absurdum abjicitur. Multa autem sunt, quæ stante transsubstantiatione, sequuntur incommoda. 1. *Accidentia esse actu in cæna, nec tamen habere subjectum.* Nam illa accidentia remanentia, ut sunt, sapor, color, odor &c. aut insunt corpori Christi, aut accidentibus post consecrationem residuis: tertium enim non datur, cum panis jam esse desit. Non corpori Christi insunt, quia hanc novam *μετεμορφωσιν* ipsi Pontificij non concedunt. Non accidentibus residuis, quia accidentia originaliter substantiæ accidunt, non accidenti. Cui ergo insunt? 2. *Accidentia pro subjecto habere quantitatem,* quò errore priorem excusare vult *Bellarminus lib. 3. de Euchar. c. 24. resp. ad arg. 6.* Et hoc monstrum est in sèniore Philosophia, cum qualitas soleat esse nò quantitatis, sed substantiæ. Et posito, quod, sublata substantiâ, qualitas consistat in quantitate, quodnam hic dabitur dimensionis correlatum? Quantitas enim vel panem vel corpus Christi dimetietur. Sed corpus Christi non dimetitur, etiam ipsis Pontificijs astipulantibus: Ergo dimetietur panis, qui tamen jam esse desit: *ἀδύνατον!* 3. *Accidentia nutrire.* Hinc Missifices in Papatu adeo pingves: quidni & mures qui sacrificium comedunt? c. *Qui benè distinct: 2. de consecr.* Nam qui sacra illa signa participant, sentiunt in seipsis vim & facultatem panis & vini, teste experientia. 4. *Vermes nasci ex accidentibus.* Non negant Pontificij,



quin hostiæ diutius asservatæ vermibus absumantur. Hinc inter ipsos transsubstantiatores non minima exorta est controversia, unde nam illi vermes existant? *Connimbr: lib: 1. Phys: cap: 5. art: 3. S. 3.* & quid tùm fiat de corpore Christi? 5. *Accidentia in cineres redigi.* Memoria enim proditum, reliquias Eucharistiæ olim comburi solitas *Hesychius lib: 2. in Levit:* Hujus generis plura incommoda vide apud *Sadeelem de Sacrament: manduc: c. 3. arg: 6. 7. 8. in oper: pag: 258.*

§. 34. **IV. Quia horribilium errorum principium.**

E transsubstantiatione horribilis illa est blasphemia, cum in *Stella Clericorum*, sacrificuli dicuntur creatores Creatoris sui, coquæ nomine B. Mariæ præferuntur, quod ipsa semel Christum conceperit & peperit, illi, quoties libet, creare possunt. E transsubstantiatione originem habet *repositio hostiæ* de quâ vide *Concil: Trident: Sess: 13. cap: 3. & 6. Can: 4. & 7. Bellarminum lib. 4. de Euchar: cap. 2. Costerum in Enchirid: cap: 8. de Euchar: pag: 332. Hagerus in Collat: August: Confess: & Conc. Trid: art: 10. quest: 3. S. 8. & qu. 5. S. 10.* ubi docent panem ritè consecratum verè & propriè esse sacramentum, sive sumatur, sive servetur in pixide. Non improbamus hic simpliciter panis & vini ad absentes delationem, aut in usum ægrotorum asservationem, quia  
sub-



subsecuta est per intervallum manducatio & bibi-  
tio. Sed hoc negamus, corpus Christi ideo esse af-  
servandum, ut pomposè ostentetur, quem finem  
repositionis facit *cit: loc: Bellarm.* circa finem. §. *Se-*  
*tundò dico.* Quia hujusmodi repositio repugnat 1.  
*Institutioni Christi*, qui jussit commedi panem aut  
corpus suum, non pretiosis vasis imponi. 2. *Ex-*  
*emplo Apostolorum*, qui consecratum panem non af-  
servarunt, sed comederunt, nec ullum in actis i-  
psorum supersticiosæ hujus asservationis extat ve-  
stigium. 3. *Natura sacramentorum*, quæ in actio-  
ne consistit: ubi itaque sacramentalis actio non se-  
quitur, ibi certè sacramentum non est. 4. *Decre-*  
*to Pontificis Romani dist: 2. de consecr. c. Tribus* ubi  
inquit: Tanta in altario certè holocausta afferan-  
tur, quanta populo sufficere debeant: quod si re-  
manerint, in crastinum non reserventur, sed cum  
timore & tremore Clericorum diligentia consu-  
mantur. E transubstantiatione oritur *Theatrica* §. 26.  
*circumgestatio*, quæ institui solet, partim propter  
infirmos, ad quos corpus Domini defertur, *Hono-*  
*rius III. lib: 3. decret: tit: 41. cap.* Sanè: partim pro-  
pter processiones publicas, in primis Festo Cor-  
poris Christi, de quo vide *Concil: Trident: Sess. 13. c.*  
*5. & Jacob Reibing im Catholischen Handbuch art. 8.*  
*pag. 615*, instituendas, quò earum pompa augea-  
tur & illustretur. Huic Comœdiæ præter illa fun-  
damenta, quæ repositioni opposita fuerunt, op-  
pono *Cassandri* judicium, quod habet in *Consultare*  
*cap. de circumgest. pag. 191.* Videtur hic circumgesta-  
tionis



tionis usus, citra grave Ecclesie damnum, imò cum  
ipsum lucro (si modo id prudenter fiat) omitti pos-  
se, cum & recens sit, & diu, sine eà circumgestati-  
one, sacramento suus honos constiterit, & hodie  
constare possit. Deinde cum hodie plerumquè  
non devotioni populi, sed pompe magis & ostentationi  
serviat, itaque Vir summi iudicij Albertus Cran-  
zius in sua Metropoli, Nicolaum Cusanum Lega-  
tum per Germaniam laudat, qui abusum Sacra-  
menti Eucharistiæ in nimis frequenti ejus per sin-  
gulas ferias circumgestatione sustulerit, & consti-  
tuit, ut nisi inter octavas festi sacramento dedicati  
in publicum non deferretur: additquè idem Al-  
bertus memorabilem causam: quia, inquit, ejus  
sacramenti usus à cœlesti Magistro institutus est,  
ad usum, non ostentationem, de ipso vero festo cer-  
tum est, illud ab Urbano, non ad circumgestatio-  
nem institutum, sed ad celebriorem conventum,  
& ut homines per pietatis opera ita se præparent,  
quo hujus pretiosi sacramenti eo die participes fi-  
eri, atquè ipsum reverenter suscipere mereantur.  
Ita enim habent verba decreti, ad quod institu-  
tum si redeatur, nil puto forte absurdi. Hæc Cas-  
sander. Legant etiam Pontificij *Lorichium*, quam  
graphicè hunc theatricum Iusum in *Instit: Cathol:*  
*de sacram: Euchar: p. 74. a. b.* describat. Et transub-  
stantiatione fluit *απολαύσεια*, quam verbis quidem  
negat *Bellarminus*, re ipsà tamen propugnat *lib: 4.*  
*de Euchar: cap: 29. & 30. Jacobus Reihing im Cathol:*  
*Handbuch art: 7. S. 2. p. 639. Hagerus in Collat: Aug:*  
*Conf*



*Conf. & Conc. Trid. art. 10. qv. 4. S. 9.* Non negant Orthodoxi, Christum θεάνθρωπον ubique & in omni loco adorandum esse; sed locum, in quo Christus est, aut creaturam, cui peculiari modo adest, simul esse adorandam (quia hæc omnia unum faciunt sacramenti suppositum, docente *Belarmino c. 29. §. sed hæc. & cap: 30 resp: ad 4.*) id, ut idololatricum, rejicimus: quia 1. *hujusmodi veneratio nusquam à Domino præcepta*, ideoque ipsi ut ἐθελοθρησκεία & mandatum hominum *Math. 15. v. 9.* displicet. 2. *Apostoli Domini non leguntur panem benedictum adorasse*, sed manducasse, & calicem bibisse *Marc: 14. v. 24.* 3. *Panis post consecrationem est & manet verus panis*, & sic DEI creatura: qui itaque Pontificij idololatriæ crimen effugere poterunt. Alia jam omitto, & è dictis concludo:

**In Ecclesia Romana nulla est §. 38.  
Eucharistia:**

Quia non est panis & vinum, quæ materia Eucharistiæ sunt.

Ex omnibus vero, quæ de tribus hisce Pontificiorum erroribus dicta sunt, ad oculum patet:

**Ecclesiam Romanam non esse §. 39.  
unam:**

Quia in his, ut & in alijs, non consentiunt fidei articulis.

**Ergo merito Ecclesia Romana  
fugienda.**

